Minuciana

i. e.

Annotationes criticae ad M. Minucii Felicis dialogum, qui inscribitur Octavius, praemissa commentatione de ipsius scriptoris aetate.

Inter eos, qui primis aevi nostri saeculis Religionem Christianam contra gentilium obtrectationes et convicia defendendam susceperunt, — quos Apologetas vocant —, M. Minucius Felix semper in singulari quadam apud viros doctos gratia fuit. Nam quum fieri omnino non possit, quin moveamur animis, quum audimus sanctissimos homines pro re sanctissima inter tot tanta vitae ac salutis pericula perorantes, tum accedit in Minucio dulcis quaedam lenitas animi, gratissima orationis elegantia, tam apta ad capiendos voluptate animos, ut ne acres quidem talium rerum judices summis eam laudibus exornare dubitaverint.[1]) Nil igitur mirum, si praeter alios rerum sacrarum scriptores Minucius noster in se convertit virorum doctrina excellentium studia. At nihilominus multa relicta sunt, quae etiam nunc emendatricis curae auxilia exspectent. Itaque quum abhinc multos annos forte incidissemus in librum Minucii, non legebamus solum cum delectatione, sed jam tum subibat cogitatio aliquando in eo vel emendando, vel explicando aliquid operae ponere. Ad eamque rem, quum diu neglecta fuisset, jam rediimus, eo libentiore quidem animo, quod interim virorum doctorum maximeque Eduardi de Muralto industria nova auxilia ad emendationem libri Minuciani suppeditata sunt. Quod autem ab initio propositum erat, ut totum libellum critice pertractaremus, id per temporis angustias non potuimus perficere. Sed, ut perspiceretur, quantum juris in emendando arti criticae sibi sumere liceret, quaeque potissimum via emendationum ingredienda esset, non videbatur alienum, ipsis annotationibus criticis de libris manuscriptis editisque ea, quae necessaria essent, praemittere. Et quoniam de libro Minucii vix quisquam poterit disputare, quin de ipsius etiam scriptoris aetate certius aliquid reperire conetur, ne nos quidem impetrare a nobis potuimus, ut hunc locum omitteremus: et ab eo ordimur.

---

[1]) Ut J. Fr. Gronovius, Observ. Eccl. VII. p. 71, dicit: *Minucius Felix dialogum contra paganos scripsit, lactea sermonis ubertate Lactantio nihil cedentem, mirabili ubique perspicuitate etiam in acute dictis; nihil argutiarum obscuritate molestarum, nihil intempestiva eruditionis ostentatione insolens aut arcessitum, nihil verborum novitate aut transferendi improbitate durum, horrens, abruptum.*

I.
De aetate M. Minucii Felicis.

1. Minucium quendam Felicem ad defendendam rem Christianorum dialogum scripsisse, et Lactantius [1]) et Hieronymus [2]) scriptum reliquerunt. Sed ita aliquamdiu vel nomen Minucii ignoratum est, ut libellum ejus libris septem Arnobianis adversus gentes librarii ut octavum adjunxerint, decepti sine dubio nomine Octavii, quo librum suum Minucius in honorem amici inscripserat. Eum errorem fuisse in Codice Vaticano, ex editione principe cognoscitur, quippe quae Dialogum Minucii et ipsa Arnobii librum octavum faciat, eundemque prae se ferunt Codices Parisiensis et Bruxellensis. Cum editione principe erraverunt etiam, quae proxime secutae sunt, editiones, donec Paulus Leopardus [3]) et Franciscus Balduinus [4]) librum suum Minucio restituerunt.

Sed praeter nomen nihil paene de vita Minucii traditum est, nisi quod ex ipso ejus libro discimus, vixisse eum Romae causidicum [5]) — id quod Lactantius quoque et Hieronymus [6]) tradunt — et una cum amicissimo suo Octavio fidem Christianam professum esse.[7]) Itaque ne de aetate quidem Minucii satis constat. Fuerunt, qui exeunte demum saeculo tertio eum vixisse dicerent: quamquam haec sententia, quum S. Cyprianus, qui Insectatione Valeriana anno 258 Martyr interiit, ad libellum suum *De Idolorum vanitate* manifesto usus sit libro Minucii, dudum explosa est. Alii voluerunt, Minucium medium fuisse inter Tertullianum et S. Cyprianum vixisseque Imperatore Alexandro Severo, circa annum p. Chr. n. 220. Et hanc sententiam sequuntur fere Rerum Ecclesiasticarum scriptores et ex philologis haud pauci. Defendunt eam inter alios pluribus Le Nourry,[8]) Monachus Congregationis Maurinae, et Lübkertius.[9]) At nuperrime extiterunt, qui ante Tertullianum Minucium fuisse contenderent, ex quibus satis sit nominare Dan. ab Hoven,[10]) auctorem hujus sententiae, et H. Meierum [11]) et Eduardum de Muralto [12]): et tantum hi argumentis suis profecerunt, ut hominum doctissimorum assensum tulerint et haec sententia jam videatur caeteris potior existimari. Ita Tzschirnerus, quum primo contra eam acriter disputasset,[13])

---

[1]) Inst. V, 1: *Minucius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Hujus liber, cui Octavio titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset.*

[2]) Catal. Vir. ill. 58: *Minucius Felix, Romae insignis causidicus, scripsit Dialogum Christiani et Ethnici disputantium, qui Octavius inscribitur.*

[3]) Emendat. VI, 24. —

[4]) In praefatione editionis suae, Heidelbergiae 1560, quae praefatio deinde multis aliis editionibus, ut Lindnerianae priori et Parisiensi Abbatis Migne (Patrol. Tom. III. Paris. 1844) addita est.

[5]) C. 2, 4; cf. quae de se Octavius dicit C. 28, 1 — 7.

[6]) l. l. c.

[7]) C. 1, 4.

[8]) Dissertatio in M. Minucii Felicis librum, qui Octavius inscribitur, Cap. 2 Art. 1, quae dissertatio addita est ipsi Minucii libro in Patrologiae Tom. III. ed. Migne. Parisiis 1844.

[9]) M. Minucii Fel. Octavius ed. Lübkert. Leipzig 1836. Introd. §. 2.

[10]) Epistola ad Gerhardum Meermann in: Campensia sive specilegia criticoantiquaria. Campis. 1766. I. Eam Epistolam Lindnerus addidit secundae suae Minucii editioni. Langosalissae 1773.

[11]) Commentatio de M. Minucio Fel. Turici 1824, pag. 7.

[12]) M. Minucii Fel. Octavius. Recens. Eduardus de Muralto. Turici 1836, pag. XXXIX. sqq.

[13]) Gesch. der Apologetik. Leipzig 1805. P. 275 seqq.

postea ad eandem accessit,[14]) nec minus Godofr. Bernhardius, ut in prima editione historiae suae literarum Romanarum Minucium ad Alexandri Severi tempora retulit,[15]) ita in posterioribus illius libri editionibus, eundem primum omnium latinis quidem litteris de rebus Ecclesiasticis scripsisse, Antoninis Imperatoribus, dicit.[16]) Adde Clarissimum Niebuhrium, qui propter totam sermonis Minuciani rationem eandem sententiam tuetur.[17])

Nos quoque, postquam, quae ab utriusque sententiae patronis disputantur, accurate contulimus, neque minus, quae nova in unam alteramve partem afferri possent, ut fieri poterat diligentissime anquisivimus, in eam deducti sumus sententiam, ut ante Tertullianum haud paucis annis, Imperatoris T. Antonini Pii temporibus, Minucium nostrum scripsisse existimemus: cujus sententiae jam rationem reddemus.

2. Et primum quidem, ne silentio praetermittamus argumenta adversariorum, duo sunt maxime, quibus effici videbatur, post Tertullianum demum Minucium scripsisse, unum, quod S. Hieronymus compluribus locis, enumerans veteres quosdam scriptores Ecclesiae, semper Tertullianum anteponeret Minucio,[18]) alterum, quod multo esset similius veri, Minucium, ut superiorem oratione, ita ingenio multo inferiorem, Tertulliani vestigia secutum esse, quam Minucii Tertullianum.

Sed ad illud quod adtinet, bene respondet Muraltus,[19]) Hieronymum locis illis omnino non cogitasse de servando ordine temporum, quippe qui non Tertullianum solum, sed etiam Cyprianum atque adeo Lactantium et Arnobium ante Minucium recenseat, tum hos eosdem anteponat Cypriano, alios aliter misceat. Et perapte Hieronymo opponit Lactantium, qui non solum Minucium recenset ante Tertullianum et Cyprianum,[20]) sedetiam usurpans locum, Tertulliano et Minucio communem, de Saturni fuga in Italiam, Minucium auctorem nominat.[21]) Qua in re tanto plus momenti est, quod Tertulliani scripta Lactantius sine dubio optime noverat et semper apud Ecclesiam tanta in laude Tertulliani nomen erat, ut nisi aliquid obstitisset, certe ejus auctoritate uti Lactantius maluisset.

Quod autem Tertullianus et ingenio, et doctrina, et ardore animi superat Minucium, id non magis verum est, quam nihil ad rem facit. Nam quum aliis libris maximeque S. Justini Martyris Tertullianus usus sit, cur non Minucii? Omnino qui Tertulliani libros cum judicio legerit, facile sibi persuadebit, eos magnam partem et praeter omnes Apologeticum festinantissime scriptos esse, neque raro deprehendet indicia hominis, qui abreptus ardore undique, quae in suum usum convertere possit, colligat et ne de apto quidem et facili rerum con-

---

14) Fall des Heidenthums I, S. 219.
15) Grundriss der Röm. Litteratur. Halle 1830. S. 341.
16) Des nämlichen Werkes 3. Ausgabe. 1855. I. Abth. S. 789.
17) In Frontonem. p. 189. — Kleine Schriften. II. S. 56.
18) Et Eucherius, qui ad Valerianum pag. 51. Bibl. P. P. V. pag. 771 scribit: *Et quando clarissimos facundia Firmianum, Minucium, Cyprianum, Hilarium, Joh. Ambrosium ex illo volumine numerositatis evolvam?* Videmus, ab Eucherio etiam Firmianum i. e. Lactantium et Minucio, et Cypriano anteponi.
19) l. c. pag. 13 sqq.
20) Inst. V, 1.
21) Inst. I, 11. cf. Min. c. 22, 9; Tert. Apol. 10; ad Natt. II, 12.

gestarum nexu cogitet.[22]) Quamquam semper ita alienis Tertullianus utitur, ut virum agnoscas non imitatorem, sed suo ubique ingenio, suo judicio nisum. Et his satis responsum sit ad argumenta adversariorum: qui quamquam etiam alia afferunt, tamen ea omitto, ita aut incerta, aut levia, ut non refutare solum, sed etiam referre taedeat.

3. Venimus igitur ad ea, quibus Minucium probetur ad aetatem Antoninorum pertinere. Et in his sit omnium primum —, quod Daniel ab Hoven pluribus disputat[23]) —, quod Minucius c. 28, 2 summa fiducia dicit, neminem ad id usque tempus inventum esse, qui quae de Christianorum sceleribus apud gentiles et ferantur et imprudenter credantur, suo testimonio confirmarit. *Nec intelligebamus*, Minucius dicit, *ab his* (sc. daemonibus) *fabulas istas semper ventilari et nunquam vel investigari, vel probari, nec tanto tempore aliquem existere, qui proderet, non tantum facti veniam, verum etiam indicii gratiam consecuturum.* Longe alia defensionis ratio ingredienda Minucio fuit, si post annum 177 libellum suum edidisset. Nam eo anno quum in Gallia, Lugduni inprimis et Viennae, crudelissime in Christianos saeviretur, correpti servi gentiles Christianorum, metuentes tormenta, testes se fuisse scelerum illorum, quae in conviviis Christiani, vescentes carnibus infantium, in se admitterent, coram judice edixerant.[24]) Pervulgata autem ea res erat inter Christianos nec fugere Minucium potuit. Eodem argumento Otto utitur, ut Athenagorae *πρέσβειαν περὶ χριστιανῶν* ante annum 177 in lucem editam esse, ostendat;[25]) nam Athenagoras quoque in illo libro, c. 35, ne a servis quidem Christianorum vitam incusari dicit. Verum quum in Apologia sua secunda c. 12 S. Justinus dicat, servis Christianorum in judicium raptis horrendis cruciatibus expressa esse scelerum, quorum Christiani postularentur, testimonia, nonne etiam ante, quam hanc Apologiam Justinus tradidisset, Minucii librum scriptum esse, apparet? Qua in re bene attendendum est, scribere Justinum, quae in ipsa Roma, itaque quasi inspectante Minucio acciderant. Justinum autem verisimillimum est, Apologiam alteram, si non Antonino Pio, certe M. Aurelio Philosopho circa annum 166 tradidisse,[26]) ut perducamur saltem ad primos annos Imperatoris M. Aurelii. At vereor, ne quis nimium nos probare existimet. Nam si recte se habent, quae diximus, Athenagorae quoque *πρέσβειαν* judicandum est prius, quam Justini alteram Apologiam scriptam fuisse, quum et alii et Otto ad annum 177 eam referant.[27]) Longum est et a nostra causa alienum, de Athenagorae libro quaestionem instituere: sed vere ita inter se pugnant Justini et Athenagorae verba de testimoniis servorum, ut non possit illius Apologia secunda non secuta esse post hujus *πρέσβειαν*, neque scio, an aliter de libro Athenagorae viri docti judicaturi sint, si Justini locum laudatum, qui adhuc neglectus esse videtur, diligenter expenderint. Nobis quidem satis est dicere, incertum esse tempus

---

22) cf. infra. pag. . .
23) In Epistola ad Meermannum, pag. 271 sqq. edit. Lindnerianae.
24) Legitur hoc in epistola illa, qua Christiani Lugdunenses Viennensesque de malis suis Ecclesias Asiae certiores faciunt, apud Euseb. H. E. V. c. 1.
25) Athenagorae opp. ed. Otto. Jenae 1857. Prolegg. pag. 75.
26) cf. Wetzer und Welte: Kirchenlexikon. Bd. 5, S. 942 cf. S. 938.
27) l. c. Prolegg. pag. LXII. sqq.

libri Athenagorae et Nicolaum le Nourry, recensitis diversis de illo sententiis, nihil ausum affirmare, hoc solum dicere: *Scire sufficiat, omne extra dubium esse, hanc Legationem ab Athenagora intra annum 165 et 178 editam in lucem.*[28])

Deinde ex loco quodam, utrique scriptori communi, recte colligitur, Minucium vixisse saltem ante Tertullianum. Minucius enim l. 22, 8 habet haec: *Saturnum enim, principem hujus generis et examinis, omnes scriptores vetustatis Graeci Romanique hominem prodiderunt. Scit hoc Nepos et Cassius in historia, et Thallus ac Diodorus hoc loquuntur.* Et Tertullianus Apol. c. 10: *Saturnum itaque, si quantum litterae docent, neque Diodorus Graecus aut Thallus, neque Cassius Severus aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejusmodi antiquitatum aliud quam hominem promulgaverunt.* Errat hic Tertullianus, Cassium Severum, qui orator fuit satis notus, historicorum librorum, quod sciamus, nihil reliquit, pro Cassio Hemina, annalium scriptore, appellans, eundemque errorem refert ad Natt. II, 12. Contra Minucius solo nomine Cassii utitur. Jam haec verba alterum ab altero sumpsisse, manifestum: sed utrum priorem scripsisse, utrum imitatum esse existimabimus? Censuit vir doctus, nescio quis, auctorem loci nostri esse eum, qui erravisset, imitatorem, qui emendasset; nam auctor si ab initio recte scripsisset, non erraturum fuisse, qui esset secutus. Recta ratio, at minime apta ad nostrum locum! Nam si Minucius emendasset Tertullianum, nonne pro falso verum nomen Heminae expressisset? Multo profecto veri similius, Minucium, quum historicum Cassium additis verbis *in historia* satis significasset, simpliciter, ut Nepotem, sic Cassium hoc solo nomine laudasse, Tertullianum vero, haec legentem, imprudenter Severi nomen addidisse. Nam Cassius Severus, ut qui Augusti tempore vixerat et procacissimae suae eloquentiae etiam apud posteros magnam memoriam reliquerat, fortasse solus Tertulliano notus erat, certe multo facilius in mentem redibat, quam vetustus ille et exilis annalium scriptor Hemina. Vides praeterea, Minucium, ut lenius disserentem, non in Cassio solum, sed in ceteris quoque, quos laudavit, scriptoribus, uno nomine contentum esse, Tertullianum, ut vehementius disputantem ac pleniore voce usum, duo nomina usurpare, ut etiam Diodoro, quum deesset gentile nomen, saltem *Graeci* vocabulum addiderit: ita, legens Cassii nomen, facile consuetudine sua in errorem inducebatur. — Nec desunt alii loci, qui multo magis Tertullianum Minucio, quam Minucium Tertulliano usum esse arguant: inter quos insignis est is, quo uterque scriptor paene eisdem verbis, ne templa quidem Deorum immunia esse a foedis sceleribus, dicit.[29]) Is locus enim apud Minucium quidem cum tota rerum serie optime cohaeret, apud Tertullianum ita abrupte et quasi casu infertur per *caeterum* particulam, ut aliunde translatum per se suspiceris.

Porro aliquid indicii, Minucium pertinere ad Antonini tempora, inde quoque accedit, quod Frontonis, Rhetoris Cirtensis, praecipua apud eum fit mentio. De quo C. 9, 8 Caecilius dicit: *Et de convivio notum est; passim omnes loquuntur; id etiam Cirtensis nostri testatur*

---

[28]) Appar. ad Bibl. Max. vett. Patrum. I. (Par. 1703) pag. 459.
[29]) Min. c. 25, 12; Tert. Apol. c. 15.

oratio. Ad quae respondens Octavius c. 31, 1: *Sic de isto* (sc. convivio) *et tuus Fronto non ut adfirmator testimonium fecit, sed convicium ut orator aspersit.* Nolumus disputare, quid significent pronomina illa *noster, tuus;* sed ita certe appellatur Fronto, ut ipsius nomini singularis quaedam auctoritas tribuatur. Jam Fronto mortuus est circa annum 170 p. Chr., gloriae suae, quae maxima fuerat Hadriano et Antonino Pio Imperatoribus, ipse superstes,[30]) ut a Tertulliano ceterisque Apologetis ne commemoretur quidem inter adversarios Christianorum: non injuria igitur conjicimus, Minucium, si non aequalem Frontoni, tamen non longe abfuisse ab ejus aetate et gloria.

Tum aliud argumentum sententiae ejus, quam nos defendimus, M. G. Lichtwerus affert, nostras ille fabularum Aesopicarum scriptor, qui Minucii Octavium primus germanice reddidit. Nam apud Minucium Caecilius hoc quoque nomine Christianos objurgat, quod terra obruant corpora mortuorum, a combustione abstinendum esse opinentur; ad quam criminationem deinde Octavius respondet, consuetudinem illam humandi ut vetustiorem et meliorem se frequentare.[31]) Hinc igitur Lichtwerus probari dicit, Minucium vixisse Antoninis imperatoribus; nam eorum tempore quum etiam Gentiles Gyraldo teste coeperint ad veterem humandi morem redire, per se cessasse illam criminationem.

Quo jure Gyraldus Antoninorum tempore dicat inter gentiles quoque corpora mortuorum desita esse concremari, hoc me quidem fugit, cui Gyraldi liber ad manum non fuerit. Tacitus Ann. 16, 6 combustionem morem Romanum appellat; ad humationem reditum fuisse extremis Imperii Romani temporibus, ex Macrob. Sat. 7, 7 discimus: at quando consuetudo sepulturae immutata sit, non satis liquet. Verum quum nec Tertullianus, nec alius quisquam ex Apologetis criminis illius mentionem faciant, quamquam de sepultura mortuorum plus semel loquentes, hac ipsa re, non vana in medium protulisse Gyraldum, licet conjicere. Lübkertius quidem, Tertullianum Lactantiumque putavit non minus quam Minucium de corporum humatione Christianos defendere: sed magnopere errat tantumque abest, ut qui appellantur ab eo loci[32]) obstent et Lichtwero et Gyraldo, ut cum his ipsis faciant. Nam Tertullianus l. c. non tam Christianos defendit, quam gentiles redarguit, qui humanda corpora propterea censeant, quod aliqua etiam post mortem in corpore pars animae remaneat.[33]) Quid igitur? Nonne ex ipso hoc loco apparet, Gentiles quoque Tertulliani tempore mortuos, quamvis partim falsa ductos opinione, humare maluisse, quam comburere? Minus etiam ad rem facit, quod de sepeliendis mortuis Lactantius l. c. dicit. Qui de beneficentia agens enumeransque

---

30) cf. Bernhardy, Grundriss der Röm. Cult. 3. Ausg. pag. 87, 698. Adorationem Frontonis in Christianos videtur fragmentum quoddam pertinere apud Isid. Etym. 15, 2, 46 (Front. Epp. ed. Angelus Majus. Romae 1823 pag. 335): *Ut pergraecari potius amoenis locis, quam coërceri carcere viderentur.* Videntur haec pertinere ad Christianorum inter cruciatus constantiam; qua de re quum etiam Caecilius apud Min. c. 8, 5 eos cum invidia irrideat, suspicio mihi movetur, omnino ex oratione Frontoniana multa Caecilium sumpsisse.

31) Cap. 11, 3; 34, 11.

32) Tert. de An. c. 51. Lact. Inst. 6, 12.

33) l. c. de Anima: *Sed nec modicum quid animae subsidere in corpore est, decessurum quandoque et ipsum, quum totam corporis scenam tempus aboleverit: et hoc enim in opinione quorundam est. Propterea nec ignibus funerandum ajunt, parcentes superfluo animae. Alia est autem ratio pietatis illius &c.*

opera misericordiae, ultimo loco sepultarum recenset mortuorum, de qua disputans nihil praecombustione defendit humationem, sed refutat eos, qui, quod nihil intersit mortuorum, sepultine[34]) sint, an insepulti jaceant, benefieri mortuis sepultura negent.

Denique argumentum gravissimum sententiae nostrae petitur ex tota ratione libri Minuciani. Nam is ita ubique versatur in vulgaribus Christianorum criminibus in eisque defendendis ita contentus est argumentis, quamquam plerumque idoneis, tamen simpliciter et facile occurrentibus, ut si compares vel Tertulliani libros apologeticos, vel Clementis Alexandrini et Origenis, non possis non agnoscere artis apologeticae initia et quasi incunabula. Huc pertinet, quod Roesslerus dicit,[35]) quo saepius legat librum Minucii, eo minus se intelligere eos, qui Minucium putent imitatorem esse Tertulliani. Noli autem dicere, excerpsisse forsitan Minucium libros Apologetarum, copiosius disputantium: nam ita omnia inter se coëunt, ita expedite fluit Minucii oratio, ut nequaquam sentias hominem aliena excerpentem. Ex hac simplicitate Minuciana petita sunt fere, quae argumenta in nostram partem Muraltus affert. Sunt inter ea, quae minus recte illinc ducuntur, ut *simplicitas Dogmatum*, *simplicitas caerimoniarum et orationis:* nam in multis, si Minucius abstinet a copiosiore disputatione, non id simplicitate, sed consilio factum est. Sed hoc ipsum novum momentum argumentationi nostrae addit: Minucium enim apparet religiosissimum esse in observanda disciplina, quam vocant, arcani.[36]) Non utitur locis librorum sacrorum, ne ibi quidem, ubi per se ad eos quasi deferebatur; nihil, ut refutet commenta illa gentilium de foedis Christianorum conviviis scelestisque concionibus, de sacris eorum ritibus dicit:[37]) quid, quod de ipsa Christi natura deque ejus opere ita silet vel leviter loquitur, ut quam caute declinet accuratiorem rei expositionem, quasi oculis cernas? Idque tanto magis dignum memoratu, quod Caecilius riserat Christianos, ut qui colerent noxium hominem, crucis etiam supplicio punitum,[38]) ad quod refellendum paene cogebatur Octavius, ut de S. S. Salvatoris vita ac morte quae vera essent, aperiret.[39]) Jam satis quidem notum, hanc disciplinam arcani etiam post Tertullianum per complura saecula observatam esse: sed si secutus fuisset Minucius Tertullianum, operam dans et ipse defensioni Christianorum, putabimusne, eum hanc sibi religionem impositurum fuisse aut potuisse imponere, si aliquid speraret etiam sua Apologia ad salutem Christianorum se collaturum esse? Nec obstat, quod S. Justinus in priore Apologia recesserat a Disciplina arcani et ne de SS. quidem Eucharistia dubita-

---

34) l. c. Inst. 6, 12: *Quin etiam non defuerunt, qui supervacaneam facerent sepulturam, nihilque esse dicerent mali, jacere inhumatum atque abjectum: quorum impiam sapientiam quum omne humanum genus respuit, tum divinae voces, quae id fieri jubent.*

35) Bibliothek der Kirchenväter. III, 2.

36) De qua v. Toklot: De disciplina arcani. Col. 1836. Rothe: De disciplina arcani. Comment. acad. Heidelb. 1831. Klee: Lehrbuch der Dogmengeschichte. Mainz. 1838. P. II. p. 231 sqq. Wetzer und Welte, Kirchenlexicon. (Freiburg 1847) I. s. v. Arcandisciplin.

37) cf. Cap. 9, 6 seqq.; Cap. 30 et 31.

38) Cap. 9, 5. cf. 29, 2—8.

39) Mira in eam rem habet Meier l. c. pag. 34, qui idcirco tam pauca de Divina Christi natura Minucium dixisse opinatur, quod tum primum Deus credi Dominus noster coeptus sit. Quam parum assequitur, quid moverit pios majorum nostrorum animos, quid ora clauserit!

verat fidem Christianorum exponere: scripsit is quidem ante Minucium, id quod ex locis compluribus ex illius libro ab hoc translatis satis constat; at scripserat graece, manebat igitur religio evulgandarum rerum sacrarum, quum Minucius latinis literis, quod omnes legerent, primus omnium scripturus esset.

Quod igitur semper in hac quaestione caput fuit, utrum Tertullianus Minucio, an Minucius Tertulliano aetate antecesserit, id ex eis, quae supra disputata sunt, facile dijudicabitur: sed paulo accuratius etiam Minucii aetas definiri poterit, ad eamque rem quae maxime pertinent indicia, ea jam in extrema hac commentatione jungimus.

Primum enim dubitari nequit, quin Minucii libellus ante S. Justini posteriorem Apologiam in lucem editus sit. Nam quum ex priore ejusdem Apologia tam multa a nostro translata sint et rebus et verbis simillima, nihil est, quod posteriore quoque eum usum esse declaret. Erant tamen etiam in hac, quae commode transferri possent, velut ea, quae c. 5. de origine Daemonum disputantur, quae vere habet Tertullianus Apol. c. 22. Quodsi priore Justini libro Minucius usus est, nonne altero quoque existimandum est eum usurum fuisse, dummodo is tum jam exstitisset? Sed accedit alterum illud et certius argumentum, quod supra[40]) jam commemoravimus, quod in altera Apologia Justinus quoque aperte dicit, servos quosdam et pueros mulierculasque, de quibus Christiani objurgentur, scelera testatos esse, tormentorum quidem cruciatibus adactos.[41]) Hinc igitur ante annum 166, primis saltem annis Imperatoris M. Aurelii Philosophi Minucium scripsisse collegimus. Addimus tamen hoc loco, testimonia illa Minucii tempore certissime nondum fuisse edita, quum Caecilius probaturus illas criminationes praeter Frontonis orationem vulgi solum rumores appellet.[42])

Ad idem tempus alio quoque indicio deducimur. Spirat enim totus Minucii libellus gratam quandam animi tranquillitatem, ne a miti quidem ironia alienam, ut nullis tum insectationum crudelitatibus Christianos territos fuisse, facile sentias. Hanc autem terrorum moram Christianis ut Antonini Pii maxime imperium attulit, ita abstulit M. Aurelii Philosophi. Et quamquam de tempore, quo primum gentilium odia Aurelio imperante denuo efferbuerint, dubitationis aliquid relinquitur, tamen non ultra quatuor vel quinque priores annos hujus imperii annos felicitatem illam Christianorum constitisse, vel Ss. Polycarpi celeberrimum martyrium declarat: nam is Smyrnae anno aut 166, aut 167 p. Chr. obiit. Ut igitur qui Minucium voluerunt Tertulliano inferiorem fuisse, ex illa libelli ejus ratione Alexandri Severi aetate eum scripsisse, recte conjecerunt,[43]) sic nos, postquam superiorem nostrum fuisse demonstratum est, ad Antonini Pii vel priora M. Aurelii tempora eundem referre cogimur.

Eam autem, quam etiam nunc superesse vides, dubitationem tertium quoddam indicium eximit. Octavius enim, ut ex Cap. 2, 1 discimus, quum in hanc disputationem cum Caecilio

---

[40]) Pag. 3.

[41]) S. Just. Apol. II. C. 12: *Καὶ εἰς βασάνους εἵλκυσαν οἰκέτας τῶν ἡμετέρων, ἢ παῖδας ἢ γύναια καὶ δι' αἰκισμῶν φοβερῶν ἐξαναγκάζουσι κατειπεῖν ταῦτα τὰ μυθολογούμενα.*

[42]) C. 9, 8: *Et de convivio notum est: passim omnes loquuntur; id etiam Cirtensis nostri testatur oratio.*

[43]) cf. Lübkert l. c. Einleit. pag. 4.

veniret, pater fuit filiorum infantium.[44]) Idem autem cap. 28, 1 seqq. cum dolore fatetur, se quoque olim interfuisse vexationibus Christianorum, perversa in eis judiciorum ratione usum.[45]) Jam per illa tempora primis solum annis imperii Antoniniani Christianos gentilium inimicitiis ac vexationibus obnoxios fuisse, manifestum est. Antoninum enim abhorruisse ab insequendis Christianis, et scriptorum Ecclesiasticorum vel expressis testimoniis, vel silentio satis probatur,[46]) et per se, quo erat Antoninus ingenio, facile nobis persuademus. Quodsi Justinus in priore Apologia, quam inter omnes constat Antonino Pio traditam esse, ea habet, quae Christianos etiam tum vexatos esse crudelitatibus gentilium, doceant — petit enim injuriarum quibus eo ipso tempore laborent, remedia — dubitari non potest, quin ad initia Antonini insectationes illae pertineant. Hadrianus, quum antea non jussisset ille quidem, at passus tamen esset cruciari Christianos, tandem epistola ad Minucium Fundanum, Proconsulem Asiae, data gravissime edixerat, ne aliter Christiani, quam quaesita causa et ex legibus contra maleficos constitutis punirentur: sin falso accusati essent, ne sinerentur calumniatores impune abire.[47]) Quam facile autem ob idipsum fieri potuit, ut defuncto Hadriano odia gentilium, non amplius coërcita illius severitate, novique Imperatoris ipsa mansuetudine fisa denuo exardescerent, donec Antoninus et ipse edictis suis, id quod Eusebius tradit,[48]) his malis occurrit! Optime cum his consentit, quod, qui de S. Justino et ejus temporibus nuperrime quaesiverunt, Apologiam ejus priorem non a. 150 p. Chr., ut antea plerisque visum erat, sed a. 138 vel ineunte 139 traditam esse volunt.[49]) His igitur vexationibus videtur Octavius judex interfuisse, tum quidem viginti saltem annos natus; nam eam aetatem, quum lege Servilia triginta, post, incertum quo tempore, viginti quinque constituti fuissent, Augustus ad obeunda judicis munera idoneam voluerat.[50]) Itaque non multis annis post disputatio nostra, quum infantes fuerint Octavii liberi eo tempore, potest instituta esse; nec magnopere erraveris, si circa annum 150 id factum esse dicas. Differt tamen a tempore ipsius disputationis tempus editi libelli nostri, quo illam Minucius, defuncto, ut videtur, interim Octavio,[51]) retulit, neque, quantum intercessisset temporis spatium, reperi, quomodo definiretur: at si non post medium Antonini imperium habita est ipsa disputatio, satis, opinor, est, cur eodem Imperatore librum nostrum scriptum esse, existimemus.

At unum obstat argumentationis nostrae veritati, quod fuerunt, qui totam disputationem

---

[44]) l. c. *Romam contenderat, relicta domo, conjuge, liberis et, quod est in liberis amabilius, adhuc annis innocentibus et adhuc dimidiata verba templantibus.*

[45]) Cap. 28, 1 seqq.

[46]) Fr. L. v. Stolberg: Geschichte der Religion Jesu. Th. 8. pag. 8.

[47]) Hadriani epistolam S. Justinus priori suae Apologiae adjecit, unde eam Euseb. H. Eccl. IV. c. 3. graece redditam transcripsit.

[48]) Hist. Eccl. IV, 26. Num epistola ea, quam Eusebius h. l. inseruit, ad Asianos, vere sit Antonini, recte dubitatur; nihilominus constat Melitonis Episcopi certissimo testimonio, Antoninum Provincialibus Christianos insectantibus imperatorii nominis auctoritate plus semel obstitisse.

[49]) Ut Moehlerus (Patrologie I. pag. 192), Jenisch (Justin der Martyrer. Greifsw. 1840), alii.

[50]) cf. Sueton. Octav. c. 32; Dig. 4, 8.

[51]) Cap. I, 2, 3 et 5.

nostram fictam, fictos personatosque et ipsos Octavium et Caecilium dicerent:[52]) quibus non multis profecto opus est ut occurratur. Nam quis est, quaeso, qui cognitis eis, quae in exordio libelli Minucius noster de intima Octavii amicitia, de errorum priore et amplectendae virtutis veritatisque posteriore societate narrat, non sentiat, vera ab eo dici, quis tantam fingendi levitatem homini candidissimo obtrudere audeat? Quis fingere nugarique nostrum censeat, quum de recordatione amicissimi sui maximeque disputationis gravissimae, qua Caecilium ad veritatis cognitionem perduxerit, cum intimo animi affectu loquitur? Neque minus alia nonnulla, velut descriptio illa deambulationis ad littus Ostiae ludorumque, quos ibi pueri quidam instituerint,[53]) quae, nisi vera essent, sane ridicule admiscerentur, satis declarant, referri, quae facta sint, non fingi, quae quasi aditum ad rem aperiant. Contra nihil est, cur fictam disputationem esse suspicemur, quamquam facile concedimus, polivisse Minucium et accuratius exsecutum esse, quae Octavius et Caecilius disputaverant.[54])

II.

De libris Minucianis et manu scriptis et editis.

1. Octavii Minuciani unum tantum librum manuscriptum exstare, Nicolaus Rigaltius in praefatione suae editionis[55]) primus docuit et ab eo inde tempore communis hominum doctorum opinio fuit: eum librum ante Romae in Bibliotheca Vaticana asservatum, postea Parisios in Bibliothecam Regiam translatum esse. Sed Ed. de Muralto in Prolegomenis editionis suae, nullam esse illam translationem et Vaticanum Codicem diversum a Parisiensi, ita docuit, ut vix dubitationi locus relinquatur.[56]) Idem in Bibliotheca Bruxellensi alium Codicem primus reperit. Sunt igitur Codices, quod sciamus, tres, Vaticanus, Parisiensis, quem Regium appellare solent, Bruxellensis: quarti alicujus indicia Muraltus collegit,[57]) sed ea admodum incerta.

Et Vaticano quidem Codice usi sunt primi editores, Hieronymus Ferrarius et Franciscus Priscianensis, quibus id muneris Faustus Sabbaeus, custos Bibliothecae Vaticanae, mandaverat; utrum etiam Ursinus, qui primam editionem novis curis emendatam quadraginta annis post repetiit, non habeo dicere, quum non potuerim hanc editionem, quae rarissima videtur, nancisci; attamen quae ex praefatione Ursini Muraltus[58]) affert, dubiam rem faciunt. Postea certum est Vaticanum Codicem a nullo inspectum esse, qui, si etiamnunc exstat,

---

[52]) Ut Tzschirner Gesch. der Apol. I. pag. 225.
[53]) Cap. 3, 6 seqq.
[54]) Le Nourrius quoque negat audiendos esse, qui ita de Minucii instituto judicent. Dissert. Cap. I, Art. III. extr. (Migne Patrol. III. pag. 386.)
[55]) M. Minucii Fel. Octavii et Caecilii Cypriani de idolorum vanitate nova editio ad fidem vett. exemplarium, Nic. Rigaltii observationes. Lutetiae 1643.
[56]) M. Minucii Fel. Octavius. Recensuit Ed. de Muralto. Turici 1836. Prolegg. pag. 9 seqq.
[57]) l. c. pag. 11.
[58]) l. c. pag. 18 seqq.

latet in Bibliotheca Vaticana. Quam is quoque loco lectionem praebeat, suspicari licet ex illa Editione omnium principe, at parum certe, quum ipsi editores librum manuscriptum, plenum vitiis, permultis locis a se emendatum esse dicant,[59]) neque tamen ubi aut quomodo id factum sit, indicent, nisi quod in supplemento sex et viginti locos, ante omissos, emendant, ut his saltem locis quid fuerit in libro manuscripto cognoscatur: at sunt fere levioris momenti.

Parisiensem Codicem vel Regium — ut hoc nomine inveterato etiam nos utamur — Eduardus ab Muralto in Prolegomenis editionis suae accuratissime describit. Refert eum ad nonum saeculum, at scriptum esse dicit ab homine parum erudito, id quod et mendorum natura et interpungendi sane ridicula ratio doceat.[60])

Bruxellensem Codicem, ut supra diximus, Muraltus primus inspexit et contulit: quem, in Prolegomenis item accurate descriptum, pertinere existimat ad finem decimi saeculi, aut ad initia undecimi: inesse autem etiam plura foedae librarii ignorantiae documenta. Caeterum hi tres codices ex uno eodemque libro vetustiore exscripti Muralto videntur, quamquam de Vaticano ipsi aliqua dubitatio oboritur.[61])

2. Ex editionibus, quae plus viginti sunt, eas nominare sufficit, ad quas instituendas editores libros manuscriptos ipsi inspexerunt, quippe quae solae dubiis locis ad reperiendas veras lectiones adjuvare possint. Sunt autem: Editio princeps, facta ex libro Vaticano,[62]) cui num addi possit Ursiniana, ut supra dixi, magnopere dubito. Tum Desiderii Heraldi[63]) et Nicolai Rigaltii, quorum uterque Codicem Regium diligenter contulit. Nuperrime accesserunt editiones Eduardi de Muralto (cf. ann. 56) et Francisci Oehleri.[64]) Ille quum Parisios ad idipsum profectus Codicem Regium integrum exscripsisset, in editione sua magis id agit, ut textum Codicis exprimat, quam ut novam editionem ipse in lucem edat. In annotationibus discrepantias scripturarum Editionis principis et Codicis Bruxellensis addit, et ab eis separatas editorum aliorumque, qui Minucio emendando operam dederunt, conjecturas, singulari diligentia collectas. Oehlero praeter Muraltianam editionem praesto erant aliae duae Codicis Regii collationes, una Hildebrandi, quam is post Muraltum instituit et in appendice ad editionem suam Arnobii publici juris fecit, altera Crusii, quae adjecta est exemplo editionis Basileensis prioris ei, quod habetur in Bibliotheca S. Michaëlis Luneburgensi. Et Crusianam quidem collationem Oehlerus dicit consentire plerumque cum Muraltiana, ab Hildebrandiana

---

59) Arnobii Disputationum adversus gentes libri octo, nunc primum in lucem editi. Romae (1543) Suppl.

60) l. c. pag. 1 seqq.

61) l. c. pag. 7. Veri similius mihi videtur, Bruxellensem Codicem exscriptum esse ex Regio, Regium et Vaticanum ex eodem libro vetustiore. Nam ubi discrepant Regius et Vaticanus, Bruxellensis cum illo facit, ipse a Regio ita solum recedens, ut librarii nunc ignorantia, nunc incuria id accidisse videatur.

62) cf. ann. 59. Qui ibi exhibetur Arnobianarum Disputationum liber octavus, is ipse est Minucii nostri Octavius. V. supra Pag. 3.

63) M. Minucii Fel. Octavius. Emend. Des. Heraldus. Lutetiae 1613. Idem jam antea eundem cum Arnobii disputationibus ediderat, Lut. 1603.

64) M. Minucii Fel. Octavius etc. rec. Fr. Oehler. Lipsiae 1847. (Bibliothecae Patrum Eccl. Latinorum Gersdorfianae Vol. XIII.)

passim discrepare, id quod suo ubique loco a se indicatum sit. Nos utraque collatione, et Crusii et Hildebrandi, carebanus neque aliter nisi ex Oehleri annotationibus novimus.

Videmus igitur, solam editionem principem niti in Codice Vaticano, reliquas omnes in Regio, unde apparet, quam diligenter de dubiis quibusque locis consulenda sit editio princeps. Porro Regii Codicis collationes habemus quinque, Heraldianam, Rigaltianam, Crusianam, Muraltianam, Hildebrandianam, ut his comparatis et facile cognoscas, ubi obscurior sit Codicis illius scriptura et erroribus implicare editores potuerit, et ad explorandam veram Codicis lectionem paratam viam habeas. Postremo quum Codices tam pauci sint numero et scripti ab indoctis hominibus — nam hoc de Vaticano quoque valere, ipsius editionis principis menda et editorum testimonia docent — et ex uno eodemque libro profecti, ubi ipsorum verba sensu carent, plus arti conjiciendi permittendum est, quam licet in scriptoribus, quorum plures et boni codices exstant.

Adjicio, editionibus ceteris praeferri fere Lindnerianam alteram, quae et lectionum varietatem adjectam habet et ex annotationam farragine, quidquid ad intelligendum scriptorem utilius erat.[65])

III.

Annotationes criticae ad complures locos Octavii Minuciani.

1. C. 4, 4. *Si placet, ut ipsius sectae homo, cum eo disputem, jam profecto intelleget facilius esse in contubernalibus disputare, quam conserere* sapientiam. Modo *in istis .... petrarum obicibus residamus.*

Ita habet Codex Regius, qui tamen super *a* litteram vocabuli *sapientiam*, ut Muraltus dicit, recentiore manu superscriptam habet *u*. Cum Codice Regio consentit editio princeps. Editores varie locum mutarunt, ut Heraldus dedit *conserere sapienti manum*, Oehlerus cum Rigaltio *conserere sapientium modo. In istis etc.*, Lindnerus *conserere sapientium modo. Modo in istis ....*

Codicis lectio nulla emendatione eget. Sunt verba illa Caecilii gentilis, qui irrisus ab Octavio, quod Serapidis statuam religiose salutaverat, non celato dolore ad instituendam de vera religione disputationem Octavium provocat. Sed non vult singulas jactari vel sententias, vel criminationes, id quod *disputare in contubernalibus* dicit, sed de tota re ordine ac ratione disseri, quod faciendum esse etiam in antecedentibus dixerat.[66]) Hoc ipsum autem significatur verbis illis *conserere sapientiam*, et multo quidem fortius, quam illis, quae plerique ex conjectura dederunt *conserere sapientium modo.* Est autem *conserere sapientiam* Weisheit aneinanderreihen i. e. weise vel potius wissenschaftliche Gedanken in zusammenhangender Rede vortragen.

---

65) M. Minucii Fel. Octavius et Caec. Cypriani de Vanit. Idolorum. Rec. a Lindnero. Cum Praefatione Ernesti. Ed. 2. Langosalissae 1773.

66) C. 4, 3: *Itaque progrediar ulterius: de toto et integro mihi cum Octavio res est.*

Quamquam autem Lindnerus negat, latine dici *conserere sapientiam*, tamen, ut dicitur *verba nectere, fabulam serere, orationem serere*[67]) sine dubio illud quoque Latina oratio admittit. Et si aliquid subtilitatis in eo est, quod dicitur non *sapientia verba* vel *sapienter cogitata* conserere, sed *sapientiam*, id optime convenit cum ratione vergentis illius et subtilium verborum nimium studiosae Latinitatis.

2. C. 11, 5. *Injustos ipsos (sc. Christianos) magis nec* laboro, jam *docui.*

Ita codices habent Regius et Bruxellensis, et idem in Vaticano legisse editores primos, ex supplemento editionis principis certo discimus: nam ibi pro *laboro*, quod est in ipso libro, corrigitur *labore.*

Libri impressi maximam partem sequuntur Codices. Et ferri quidem lectio Codicis potest, quamquam num recte intellectus sit ejus sensus, non Lübkertii solum, qui saepius erravit, sed etiam Russwurmii doctissima interpretatione dubium redditur.[68]) Nam ille vertit: daß sie selbst in noch höherem Grade ungerecht sein, darum bemühe ich mich weiter nicht, ich habe es schon gezeigt, et simillime Russwurmius: „daß sie selbst ungerecht sind, mehr als Andere, mag ich nicht weiter untersuchen; ich hab' es schon gezeigt." At si ita interpretandum esset, pro *nec* Minucio scribendum erat *non laboro;* quamobrem, qui caetera putabunt interpretationem illam recte se habere, vertere tamen debebunt: bemühe ich mich nicht einmal zu zeigen, *nec* particulam ex usu scriptorum tantum non optimorum satis noto accipientes pro *ne — quidem.*

Aliter etiam, retenta Codicum lectione, interpretari locum nostrum poteris, *nec laboro* accipiens pro parenthesi quadam, referensque, quae antecedunt *injustos ipsos magis*, ad *jam docui.* „Daß sie selbst noch ungerechter sein, — und ich bin darum nicht in Verlegenheit — habe ich schon gezeigt." Cum verbis illis und ich bin darum nicht in Verlegenheit simul audiendum erit: es noch ausführlicher zu zeigen. Et hanc rationem Muraltus, ni fallor, indicat, interpungens: *Injustos ipsos magis, nec laboro, jam docui,* ut etiam Oehlerus dedit, qui praeterea in annotatione dicit, ad verbum *laboro* audiendum esse *docere.*

At nescio, an durior sit illa ellipsis, quam, sive illam, sive hanc sequimur interpretationem, cogimur admittere. Et ob eam rem, ut videtur, primi editores emendaverunt *labore*, quam emendationem probavit etiam Ursinus. Facilis sane emendatio, nisi quod praemature inferuntur verba *nec labore*, quibus ut praemitteretur *docui* vocabulum, recta loquendi ratio poscebat. Praeterea, quum saepius librarii inter se mutaverint particulas *jam* et *etiam*,[69]) per se verisimilius existimaverim emendari *etiam* pro *jam.* Quod duplici ratione accipi poterit; primum, ut scribatur *Injustos ipsos magis, — nec laboro etiam —, docui.* Nam *etiam* apud scriptores priscae potissimum Latinitatis, quos notum est quam sedulo secuti sint Fronto Rhetor et, ejus ducti auctoritate, omnes ejusdem aetatis scriptores, haud raro idem est quod

---

67) Ov. Pont. 4, 2, 30 cf. Cic. Or. 41. Liv. 7, 2, 8. id. 10, 9, 7.

68) Octavius oder des Minucius Felix Apologie des Christenthums, in's Deutsche übersetzt, mit Einleitung und Bemerkungen versehen von J. G. Rußwurm. Hamburg 1824.

69) cf. Drakenborch ad Liv. 5, 7, 2; 6, 39, 10.

adhuc, etiam nunc.[70]) Sensus igitur erit: daß sie selbst noch ungerechter sein, — und ich bin darum auch jetzt nicht in Verlegenheit —, habe ich schon gezeigt. Obstat tamen idem, quod emendationi editorum principum modo commemoratae, et melius etiam verba illa coibunt, si scribas: *Injustos ipsos magis nec laboro, et jam docui;* daß sie selbst noch ungerechter sein, setzt mich nicht in Verlegenheit zu zeigen und habe ich schon gezeigt. Addendum quidem etiam sic ad *laboro* erit *docere;* sed quanto facilius, quum ita aretius inter se juncta sint vocabula *laboro* et *docui*, per se intelligitur.

3. Cap. 11, 5. *Quamquam etsi justos darem, culpam tamen vel innocentiam fato tribui sententiis plurimorum et haec vestra consensio est.*

Ita haec verba, ea, quae modo disputata sunt, continuo sequentia, Codices Regius et Bruxellensis habent: editio princeps pro *vestra* exhibet *vestram*, incertum, utrum ex Codice Vaticano, an ex errore typographi; corrigitur tamen in supplemento *vestra*, unde conjeceris, fuisse *vestram* in Codice, quum verba illa, quibus editores supplemento praefantur, nihil indicent, nisi posteriores nonnullas ipsius Codicis emendationes.[71])

Ursinus in margine suae editionis *sententia* pro *sententiis* conjicit, certe etiam pro *tribui* legi volens *tribuit;* item Heumannus,[72]) qui praeterea post *vestra* addidit *etiam.* Eandem particulam alii nonnulli editores ante *vestra* inserunt, quod vitiosum Codices habent, nequaquam ita sanantes; plerique reddunt simpliciter lectionem Codicum, ut sensum inde eliciant, lectoribus permittentes.

Videamus igitur primum, num id aliquo modo fieri possit. Difficultas inest in vocabulo *sententiis.* Jam poteris *sententiis plurimorum* referre ad *tribui*, et id fecit Lübkertius, vertens: Und doch, wenn ich sie auch als gerecht gelten ließe: daß die Schuld oder Unschuld dem Schicksale beigemessen werde, nach den Meinungen sehr Vieler, ist ja auch eure mit uns übereinstimmende Ansicht. At quam parum apte Caecilius diceret: es ist eure übereinstimmende Ansicht, daß nach den Meinungen Vieler Schuld oder Unschuld dem Schicksale beigemessen werde, nemo non videt.[73]) Nam quum vere permulti fuerint, qui ita de culpa et fato sentirent, certe id illos facere Christiani concedebant: sed quid intererat? Id potius vult Caecilius, ipsos Christianos ita de fato sentire.[74]) Hanc igitur rationem interpretandi si repudiaveris, nihil relinquetur, nisi ut

---

70) Ter. Andr. 3, 2, 23: *Non satis me pernosti etiam, qualis sim.* Varro de B. L. 5, 7: *Fano consumebatur omne, quod profanum erat, ut etiam fit.*

71) l. c. *En tibi, bone Lector, Arnobius omni suo nitori paene restitutus; scatebat eim antea fere tot mendis, quot insunt litterae; innumera sustulimus. — — — Nonnulla interim, fatemur, subterfugerunt: quid tu vis fieri? — — — Interim quae etiam recognito volumine errata deprehendimus, si nostram sequare sententiam, legito hoc modo.*

72) Is in Miscell. Lipsiensibus Novis Vol. V. P. 3; Vol. VII. P. 2, 3; Vol. VIII. P. 1, 3 multitudinem emendationum Minucianarum proposuit mirabili quadam audacia fere insignium.

73) Quod sentiens ipse Lübkertius videtur nach den Meinungen sehr Vieler commatis illis inclusisse: quippe expedienda res erat.

74) Itaque Russwurmius l. c. pag. 46 vertit: Indeß, wenn ich Euch auch als Gerechte gelten lassen wollte, würde doch die Schuld oder Unschuld nach den Grundsätzen sehr Vieler — und was auch euer übereinstimmender Glaube ist — dem Verhängniß zugerechnet werden; neque bene, neque ex verbis exempli.

sententiis tertium casum esse dicas, pendentem a vocabulo *consensio:* Das ist da (haec) auch eure mit den Ansichten gar Vieler übereinstimmende Meinung. Neque ignoratur, Substantiva verbalia interdum posita esse cum Casu ipsius verbi et ab ipso etiam Cicerone, maxime quum Dativo opus esset.[75]) At vereor, ne durior permultis haec loquendi videatur ratio, praesertim quum nihil simile apud nostrum reperiatur. Et potest sane facili emendatione locus ille sanari, quam tanto magis adducor ut proponam, quod ex mira illa editionis principis lectione *vestram* aliquid fidei accrescit.

Quod Ursinus et Heumannus conjecerunt, *sententia*, id recte ceteri editores dubitaverunt recipere: nec enim intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut hoc depravaretur in *sententiis*. Existimaverim equidem, ante *sententiis* excidisse praepositionem *in*, interceptam antecedenti vocali *i*. Quod quoties factum sit, Drakenborchii annotationes ad Liv. 30, 43, 5; 35, 8, 9; 37, 41, 8 docent, et ipsae Codicum Livianorum lectiones et illis et aliis locis arguunt: nam quum multi *in* praepositionem exhibeant, alii eandem omittunt, antecedente semper vocali *i*. Quodsi haec praepositio fuit apud Minucium, facile intelligitur, unde profecta sit depravatio illa *vestram*. Nam in libro aliquo vetusto, quo postea usus est librarius Codicis Vaticani, *in* praepositio, suo loco omissa, scripta erat in margine juxta vocabulum *vestra;* quod quid sibi vellet, non intelligens, librarius posterior dedit *vestram*, *in* et *m* litteram, id quod saepe factum est,[76]) sive consulto sive inconsulto mutans; *in sententiis plurimorum est* autem idem valet, quod *plurimi sentiunt*.

4. Cap. 11, 7. *Vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus et corporibus quibus, ipsisne an innovatis resurgatur? Sine corpore? Hoc, quod sciam, neque mens, neque anima, nec vita est. Ipso corpore? Sed jam ante dilapsum est. Alio corpore? Ergo homo novus nascitur, non prior ille reparatur.*

Ita hunc locum, quo contra Christianorum de Resurrectione corporum doctrinam, alienissimam ab Ethnicorum mentibus, etiam Caecilius pugnat, ex Codice Regio et Muraltus et Oehlerus expresserunt. Sed quum desit pars interrogationis ea, quae opponatur verbis *utrumne cum corporibus*, Ursinus in margine emendavit *utrumne sine corpore, an cum corporibus surgatur*, quam emendationem Rigaltius, Davisius, Lindnerus, alii receperunt.

At paullo aliter ut emendetur, — emendatione enim egere Codicem, nemo est, quin intelligat —, editio princeps suadet, quae habet sic: *Vellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus et corporibus quibus, ipsisne, an innovatis surgatur sine corpore? sine corpore, hoc quod sciam etc.* In supplemento nihil corrigitur, ne mira quidem interpunctio. Sed si vocabula *sine corpore* bis exhibentur, certissimum est, ad exemplum ipsius Codicis, non ex emendatione editorum id factum esse, quippe quibus quam obscura illa verba fuerint, quam desperaverint de conatu emendationis, ipsae illae interpunctionum turbae satis declarant. Hinc vix dubitari potest, quin haec verba *sine corpore*, quae Ursinus ex conjectura a principio enuntiationis inseruit, alteram interrogationis partem efficientia, in ipso Minucii libro fuerint in fine.

[75]) Ut nota illa: *Obtemperatio legibus*, Cic. de Legg. 1, 15, 42. *Intercessor rei malae*, de Legg. 3, 19, 42. *Insidiae consuli*, Sall. Cat. 32.

[76]) cf. Drakenb. ad Liv. 36, 6, 4.

At desideratur ad ea particula interrogationis, quae postquam excidit, quum nihil jam faciendum esset de verbis *sine corpore*, haec ipsa a librario Codicis Regii omissa sunt. Illam autem particulam interrogationis existimaverim fuisse *an*, neque tam omissam esse, quam transpositam. Namque quum in Codice Regio sit *resurgatur*, editio princeps habet *surgatur*, neque, ut facile concedes, ex emendatione mere supervacanea, sed ex lectione ipsius Codicis Vaticani. Suspicor igitur, Minucium scripsisse *ipsisne*, *innovatisne surgatur*, sed vetusti illius codicis, ex quo jam supra conjeci transscriptos esse et Regium et Bruxellensem, librarium, offensum repetita particula enclitica *ne*, quae satis raro legitur, transposuisse illam particulam *an* a verbis *sine corpore*, litteras *ne* autem ita delevisse, ut non facile potuerint cognosci: itaque Codicis quidem Vaticani librarium ea omisisse, Regii scripsisse *resurgatur*. Sed hoc quidquid est, altera pars interrogationis illius quem locum in ipsius Minucii libro obtinuerit, ita ex editione principe apparet, ut ambigi nequeat: quamobrem si minus probabis, quae de transposita *an* particula conjecimus, adde eam justo loco; nam ne existimemus *sinene corpore* scripsisse Minucium, postea *ne* encliticam interceptam esse antecedentibus litteris, inhabilis sonus dissuadet.[77]) Equidem propono scribendum: *Vellem tamen sciscitari utrumne cum corporibus, et corporibus quibus, ipsisne, innovatisne surgatur, an sine corpore? Sine corpore; hoc, quod sciam etc.*[78])

5. Cap. 16, 5: *Nullum itaque miraculum est, si Caecilius identidem in contrariis ac repugnantibus jactetur aestu et fluctuetur: quod ne fiat ulterius, convincam et redarguam quamvis diversa, quae dicta sunt, una veritate confirmata probataque* sint, *nec dubitandum ei de cetero est nec vagandum.*

Consentiunt in his verbis Codex Regius et editio princeps. Quum sanitati sensus maxime obstet vocula *sint*, Rigaltius, Lindnerus, alii eam suo loco motam esse censentes inserunt post *diversa*, quo facto vere ad aptum sensum nihil deest. Attamen Oehlerus nihil mutandum esse existimat, et aliter instituta interpunctione sensui subveniens verba illa exprimit ita: *quod ne fiat ulterius, convincam et redarguam, quamvis diversa, quae dicta sunt una, veritate confirmata probataque sint. Nec dubitandum etc.* Quae interpretans in annotatione *diversa* dicit significare *nonnulla* et *quae dicta sunt una* valere *quae una cum falsis dixit.* Sensus igitur esset: Damit dieses nicht länger der Fall sei, will ich (ihn) überführen und widerlegen, obgleich Einiges, was er zugleich vorbrachte, durch die Wahrheit bestätigt und gebilligt wird. Und er hat . . . .

---

77) Minus ipsa praepositionis natura: nam particulis quoque addi posse illam encliticam, docet Virg. Aen. 4, 538: *Quiane auxilio juvat ante levatos?*

78) Caeterum hic locus ex iis est, ex quibus quae ratio intercedat inter Minucianos codices, certius conjicere liceat. Nam primum tantopere hic differt a Codice Regio editio princeps, tamque manifestum est, non editorum emendationibus id factum esse, ut facile Muralto concedas, Codicem Regium non eundem esse atque Vaticanum. Neque minus apparet, Regium non esse transscriptum ex Vaticano, quum qui illum scripsit homo indoctus pro *surgatur*, quod est in Vaticano, non scripturus fuisset *resurgatur*. Quum autem in aliis mendis uterque Codex mirum quantum consentiat (cf. mox nro. 5), ex eodem libro vetustiore utrumque fluxisse, certissimum est.

At certe verendum, ne ultra, quam fas erat, hoc loco sanctitatem codicum Oehlerus veritus sit. Ut omittam, quam aegre desideretur Objectum verborum *convincam et redarguam*, sensum quidem Oehleri verba reddunt, sed eum cum antecedentibus parum cohaerentem. Nam ita nostro loco Caecilii inconstantiam reprehendit Octavius, ut durum sit cogitare, *diversa* hic aliud quid valere, atque *secum pugnantia*, et *una* aliud, atque *sibi constans*. Praeterea, quam abrupte apud Oehlerum sequuntur verba *nec dubitandum ei de cetero est!* Retinenda igitur lectio Rigaltii et Lindneri; voculam *sint* autem malim non transponi, sed omitti. Existimaverim, illam, quum abfuisset a verbis ipsius Minucii, vetustum aliquem lectorem ad marginem scripsisse, quo indicaret, audiendam eam esse cum verbis *quamvis diversa;* ex margine deinde a posteriore librario translatam esse in ipsum librum, at quo non debuerit transferri. Miror denique, Russwurmium, qui usum se dicit editione Lindneriana, non recte locum nostrum vertisse, perversam, ut videtur, interpunctionem secutum.[79]) Quamobrem cum latinis verbis germanicam versionem adscribere liceat. *Quod ne fiat ulterius, convincam et redarguam, quamvis diversa, quae dicta sunt. Una veritate confirmata probataque nec dubitandum ei de cetero est, nec vagandum.* Damit dieses nicht weiter der Fall sei, werde ich zurückweisen und widerlegen, was er gesagt hat, so widersprechend es auch ist. Wenn ich die Wahrheit, die Eine ist, erhärtet und erwiesen habe, so wird er weiter nicht zu zweifeln und zu schwanken haben.

6. Cap. 19, 1, 2. *Recenseamus, si placet, disciplinam philosophorum; deprehendes eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire et conspirare sententiam. Omitto illos rudes et veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de caelestibus disputavit; isdem Milesius Thales rerum initium aquam dixit; Deum autem eam mentem, quae ex aqua cuncta formaverit;* et altior et sublimior aquae et spiritus ratio, quam ut ab hominibus potuerit inveniri; a Deo traditum. *Vides philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare.*

Hunc locum quum attentius legerem, tam mira videbantur verba *et altior et sublimior... traditum*, ut mox suspicio oriretur, fuisse ea olim a christiano quo Minucii lectore, cui Thaletis de aqua doctrina in mentem revocaverit Mysterium S. Baptismatis, ad marginem adscripta et inde postea in ipsum librum translata. Inspectis Virorum Doctorum annotationibus, eandem vidi fuisse J. F. Gronovii, sententiam,[80]) eique assentitur Vir Doctus, qui in Commentariis Bonnensibus, judicans editionem Minucii Lübkertianam, ipse complures locos critice pertractat.[81]) Aliter aliis visum: ex quibus Rigaltius, quum in Codice Regio non sit *et altior*, sed aut *eo altior*, ut Rigaltius, aut *ec altior*, ut Muraltus litteras interpretatur, censet legendum *eho* existimatque, Octavium, allata Thaletis doctrina, quasi insistere et admirantem hujus doctrinae sublimitatem altiorem eam dicere, quam quae ab homine potuerit inveniri. Cum Rigaltio facit Davisius,[82]) addens, non Baptismum spectari, sed Moysi illa

---

[79]) l. supra c. pag. 51.
[80]) Obs. Eccl. c. 7.
[81]) Zeitschrift für Philosophie und katholische Theologie Heft 18, S. 168.
[82]) In edit. sua, Cantabr. 1707, pag. 112, annot.

Gen. I, 2: *Terra autem erat inanis et vacua et tenebrae erant super faciem abyssi; et Spiritus Dei ferebatur super aquas*, et I, 9: *Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub Coelo sunt, in locum unum et appareat arida.* Utrumque probat Oehlerus.[83]) Ceteri quoque editores retinent verba Codicum, quamquam varie interpretantes et aliter emendantes.

Equidem persuadere mihi ne nunc quidem possum, vere Minuciana esse illa verba et recte a Rigaltio intellecta. Nam primum ab Octavii et Minucii urbanitate longe abest ipsa *eho* Interjectio, quam si reddere germanice velis, vix potueris melius, quam holla; neque tam magnum aliquid et praeclarum indicat, quam inopinatum, id quod a nostro loco alienum est. Deinde nequaquam in illa Thaletis sententia tantum sublimitatis et altitudinis est, ut admirationis etiam vocem elicere potuerit satis leniter disputanti Octavio. Tum, id quod majus est, verba illa non conveniunt cum Minuciano genere disputandi. Nam ex Patribus Ecclesiae multi, ut Justinus Martyr, Tatianus, Tertullianus, increpantes omnino Philosophorum sapientiam, surreptam eam ex Revelationis Divinae scriniis dicunt:[84]) Minucius neque increpat doctrinas philosophorum, id agens, ut optime eas cum doctrina Christiana consentire demonstret,[85]) neque ullo loco illos dicit quidquam mutuatos esse a Christianis vel Judaeis. Non dubito igitur, quin Minucius id aut omnino non cogitaverit, aut consulto omiserit. Quodsi aliter res se haberet, multo magis existimandum est Octavium hoc argumento usurum fuisse in prima disputationis suae parte,[86]) ubi redarguendum erat id, a quo criminationes suas Caecilius inceperat, non esse Christianorum, indoctorum hominum, de summis rebus, ut de natura Dei et origine mundi, certi aliquid dicere, quum de eisdem ipsi philosophi dubitarent. Quid enim? Potuitne Caecilius, qui toties prae doctrina philosophorum gentilium contemnit barbariam Christianorum,[87]) gravius revinci, quam si ipsos philosophos demonstrabatur hausisse ex fontibus sacris Christianorum? Sane igitur foret mirum, Minucium rem et per se gravem, et alias usurpatam inter doctores Christianos suo loco praetermittere, alieno per levem occasionem inserere. Postremo ipsorum verborum ratio ea suspecta reddit; nam Codices Regius et Bruxellensis exhibent *ec*, . . . *poterit*, . . . *traditum;* editio princeps pro *ec* et *traditum* habet *et — tradita;* at utrum ex Codice, an ex emendatione editorum, vix dixeris; *poterit* autem est etiam in editione principe. Jam *ec*, quum in Codicibus saepius commutatae sint majusculae C et T, satis facile emendatur in *et;* *traditum* autem quamquam Muraltus et Oehlerus retinuerunt, certe rude quid sonat et quod prodat turpiter depravatae Latinitatis scriptorem; eaque de causa reliqui editores omnes dederunt *tradita;*. . . *poterit* ferri nullo modo potest. Vides igitur triplici emendatione opus esse, ut illa verba tribui Minucio possint. Nonne inde quoque facile conjicies, fuisse ea profecta

---

83) In edit. sua pag. 24, ann. 5.

84) Just. Cohort. ad Graecos c. 19 sqq.; Tat. πρὸς Ἕλληνας. c. 30 sqq. Tert. Apol. c. 46, 47.

85) Qua demonstratione absoluta c. 20, 1 addit: *Exposui opiniones omnium ferme philosophorum, quibus illustrior gloria est, Deum unum multis licet designasse nominibus, ut quivis arbitretur, aut nunc Christianos philosophos esse, aut philosophos fuisse jam tunc Christianos.*

86) Cap. 16, 6; cf. 5, 4.

87) Cap. 5, 4; 14, 1.

ab annotante quodam, qui aut vere tam inconcinue scripserit propter inscientiam bonae Latinitatis, aut ut fieri solet in annotationibus, tam negligenter litteras expresserit, ut in triplex vitium posterior librarius adductus sit? Caeterum ne audacior videatur conjectura illa de translata in ipsum librum annotatione, ea quoque, quae de sequenti loco disputabimus, efficient.

7. C. 19, 7. *Aristoteles variat et adsignat tamen unam potestatem; nam interim mentem, mundum interim Deum dicit; interim mundo Deum praeficit.* Aristoles Ponticus variat, alias mundo, alias menti divinae tribuens principatum. *Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem, quamvis varie, adscribit. Theophrastus et Zenon et Chrysippus et Cleanthes sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiae omnes revolvuntur.*

Vocabula *Aristoles Ponticus* mendosa esse apparet, neque mirum, varias emendationes a Viris doctis tentatas esse. Editio princeps cum aliis nonnullis *Aristoteles* pro *Aristoles* exhibet, reliquis servatis: plures, ut Ursinus, Meursius,[88]) Lindnerus, Oehlerus, totam enuntiationem pro glossemate habent ac delent: alii, in quibus Rigaltius et Davisius, deletis vocabulis *Aristoles Ponticus variat*, reliqua sub finem sequentis enuntiationis addunt; Pithoeus pro *Aristoles Ponticus* scribi vult *Aristo Chius, Stoicus.*

Aliter emendandum videtur. Minucius toto hoc capite sequitur Cic. de N. D. L. I., 10, 25 — c. 16, ita quidem ut persaepe ipsa ejus verba transferat. Jam vel hoc mirum, quod l. s. allato cum principibus Stoicorum Zenone, Cleanthe, Chrysippo, numeratur Theophrastus, qui post Aristotelem Peripateticae scholae praefuit. Plus etiam suspicionis ea re movetur, quod, quum in sequentibus continuo percenseantur sententiae Stoicorum, quamquam mutato ordine, primum Cleanthis, deinde Zenonis, postremo Chrysippi, de solo Theophrasto nihil dicitur. At si comparaverimus, quae apud Ciceronem sunt de Theophrasto, simillima inveniuntur illis, quae tribuuntur mirabili illi Aristoli Pontico. *Nec vero*, ait Cicero, *Theophrasti inconstantia ferenda est: modo enim menti divinum* (all. divinae) *tribuit principatum, modo coelo, tum autem signis sideribusque coelestibus.* Hinc dubitari non potest, quin Minucius illo loco Theophrasti sententiam attulerit, Ciceronis verba non aliter partim servans, partim mutans, atque in ceteris philosophis fecit. Existimaverim autem, non *Theophrasti* nomen transferendum esse in locum *Aristolis*, sed verba *variat, alias mundo etc.* inserenda post nomen Theophrasti. Quod Cicero quoque post Heraclidem demum Theophrastum nominat, id quidem minoris momenti est, quum alias quoque a Ciceronis ordine Minucius paulum recesserit: sed minus facile de loco suo Nomen proprium movebatur, neque *variat* vocabulum, quod vix antecessit, continuo repetitum esset, nisi aliquo modo id esset excusatum. Itaque loci nostri depravatio videtur mihi inde nata esse, quod veterrimus aliqui librarius, scripto vocabulo *Theophrastus*, oblitus erat verba *variat, alias etc.* addere, postea, detecto errore, eadem in margine adscripta erant. A posteriore autem librario verba nostra rursus in ipsum librum relata sunt; sed quum optime currere viderentur verba *Theophrastus et Zenon*

---

88) Hypocriticus Minucianus. Losduni 1598. ad l.

etc., quo loco inserenda illa essent, non agnoscebatur. Ita autem decerat nomen auctoris, unde factum est, ut, quum forte a legente quodam item in margine notata essent nomina philosophorum, quos Minucius recenset, ea nomina, quae proxime antecedebant *Aristoles* et *Ponticus*[89]) cum reliquis verbis in margine scriptis conjungerentur et ita in librum insererentur. Erit igitur locus noster legendus sic: *Aristoteles variat et adsignat tamen unam potestatem; nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum praeficit. Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem, quamvis varie, adscribit. Theophrastus variat, alias mundo, alias menti divinae tribuens principatum: et Zenon et Chrysippus et Cleanthes sunt et ipsi multiformes, sed ad unitatem providentiae omnes revolvuntur.*

8. Cap. 21, 9. *Cybelae* Dindyma *pudet dicere.*

Sic legitur in Codice Regio cum Bruxellensi et ediderunt Rigaltius, Muraltus, Oehlerus cum nonnullis aliis; plerique tamen varie verba mutarunt, atque etiam editio princeps habet *Cybele.* Quamobrem, quum praeterea videam, verba illa non Lübkertium solum, sed etiam Russwurmium minus recte transtulisse, juvat annotare, revera Codicis lectionem optime se habere, et *Dindyma* hoc loco esse Adjectivum, ut est etiam apud Colum. 10, 221: *Exstimulat vatem per Dindyma castra Cybeles*, et apud Ausonium ep. 25 ad Paulinum 16: *Dindyma Gargarico respondent carmina luco.* Significat autem *Dindyma* sacra Dindymena, ut paulo ante *Eleusinia* sacra Eleusinia. Germanice igitur: Die Dindymenische Feier der Cybele schäme ich mich zu beschreiben, et ita solum recte procedit Octavii disputatio, qui capitis hujus §. 5, Deorum gentilium vanitatem ex sacris eorum et mysteriis se ostensurum esse, promiserat.

9. Cap. 21, 11. *Quid formae ipsae et habitus? Nonne arguunt ludibria et* decora *Deorum vestrorum?*

Sic cum codicibus exhibet editio princeps. Editores omnes, exceptis solum Heraldo et Muralto, dederunt *dedecora.* Quod mirum; nam si *et* accipitur pro *etiam*, optimum sensum codicum verba reddunt. „Und die Gestalten selbst und das Aeußere? Sind nicht sogar die Zierrathen eurer Götter ein Beweis von Spielereien?" Nam decora Gentilibus quidem videbantur insignia illa formarum, quae ut Aesculapii barba, ut Mercurii alae, ut Jovis Ammonis cornua Dei cujusque naturam significabant.

10. Cap. 21, 13. *Quid ipse Jupiter vester? modo imberbis statuitur, modo barbatus locatur, et cum Hammon dicitur, habet cornua, et cum Capitolinus, tunc gerit fulmina, et cum Latiaris cruore perfunditur, et cum Feretrius* non auditur. *Et ne longius multos Joves obeam, tot sunt Jovis monstra, quot nomina.*

Merito editoribus suspecta fuerunt verba *non auditur*, ut quae sensu careant, variisque tentata sunt emendationibus, ex quibus satis sit commemorare, quae Rigaltio et Oehlero placuerunt. Ille existimat legendum esse *non aditur;* nam Numam Pompilium, ut Servius

---

89) Quod autem in margine per compendium scriptum fuerit *Aristoles*, et deinde non *Heraclidis* sed *Pontici* nomen notatum, id ita convenit cum ratione annotationum ad marginem, ut conjectura nostra inde etiam probabilior fiat.

ad Aen. 6, 859 dicat, praecepisse, ut, postquam Romulus prima spolia opima Jovi Feretrio suspendisset, secunda Marti, tertia Quirino deferrentur: itaque quum ter tantum per omnem historiam Romanorum spolia opima deportata sint, factum esse, ut nunquam post Romuli tempora ad Jovis Feretrii templum accessum sit; hanc igitur Jovis Feretrii solitudinem ab Octavio rideri. Quod quam coactum sit, quam languidum, in aperto est, praeterquam quod admodum dubia videtur illa, qua Rigaltii conjectura nititur, Feretrii solitudo, quum in eodem templo asservata sint sceptrum illud et ille lapis, quibus in jurejurando Romani utebantur. — Jam Oehlerus vult scribi *tribus una aditur*, ad confirmandam hanc emendationem eadem lege Pompilia usus, de sensu verborum nihil aliud annotans. Attamen ne haec quidem emendatio facile admittetur, et quod nimium ea recedit a lectione codicum, et quod aptus et facilis sensus etiam sic desideratur. Nam et his, et omnibus conjecturis, ad quas editores confugerunt, maxime obstat totius loci ratio: id enim agit Octavius, ut quam ridiculi sint Dii gentilium ex eorum imaginibus ostendat, eoque et quae antecedunt, et quae sequuntur, spectant: illae vero emendationes ad imaginem Jovis Feretrii nihil attinent.

Haec autem imago qualis fuerit, quum adhuc nesciatur, non audeo ipse emendationem quamcunque proponore, satis habens indicasse viam emendationis. Nolui tamen silentio praeterire, in Creta insula Jovem etiam sine auribus fictum esse:[90]) quodsi liceret, idem cogitare de Jovis Feretrii imagine, facillime sane pro *auditur* emendaretur *audit*, praesertim quum antecedenti forma passiva *perfunditur* facile potuerit adduci librarius, ut item passive daret *auditur*. At haec emendatio quamvis apte consentiat cum loci nostri ratione et nexu, incertior tamen res est, quam ut affirmare quidquam audeam.

11. Cap. 22, 11. *Itaque latebram suam, quod tuto latuisset (se. Saturnus), vocari maluit Latium, et urbem Saturniam* dedit *de suo nomine, et Janiculum Janus ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt.*

Ita legitur in utroque codice et in editione principe. Editiones paene omnes delent *dedit;* Oehlerus ante hanc vocem maluit inserere *quam* Relativum; Lindnerus, quamquam et ipse aut *dedit* aut *reliquerant* delendum esse in annotatione censet,[91]) acquiescit tamen in lectione Codicum et interpunctione sanare studet, quod in structura verborum videtur vitiosum esse. Legit is: *Itaque latebram suam, quod tuto latuisset, vocari maluit Latium, et urbem Saturniam dedit de suo nomine, et Janiculum Janus: ad memoriam uterque posteritatis reliquerunt.* Sed nimis laborant haec novissima verba, ut assentiri possimus.

Structuram verborum optimam fore apparet, si *dedit* deleatur. Sed a librario hoc vocabulum, ut satis elegans, ita satis etiam eo quidem, quem nostro loco habet, sensu rarum, insertum esse, vix quisquam sibi persuadebit, et si quis de annotatione ad marginem hic quoque velit cogitare, multo veri similius fuerit, inserta esse vocabula *dedit de suo nomine*, quam solum *dedit*. Quamobrem ut modus adhibeatur in emendando, satius existimo, nihil

---

90) cf. Natalis Comitis Mythol. Geneviae 1651, pag. 108.
91) l. c. pag. 138.

omnino emendari, at verba *Saturniam dedit de suo nomine* pro parenthesi accipi. Satis bene ita se habet structura verborum, quae germanice erunt: „und er ließ eine Stadt, — Saturnia nannte er sie nach seinem Namen, — und Janus das Janiculum, Beide zur Erinnerung der Nachwelt zurück."

12. Cap. 24, 5. *Quaedam fana semel anno adire permittunt, quaedam in totum nefas visere; est, quo viro non licet, et nonnulla absque feminis sacra sunt.*

Hanc codicum et editionis principis lectionem complures editores emendationis indigere existimaverunt, ut Lindnerus cum aliis dedit: *quaedam in totum nefas visere est, quaedam viro non licet, etc.* Et hi quidem, quia male interpungendo *est* junxerunt cum antecedente *nefas*, coacti erant ad aliquam emendationem. Sed Davisius quoque, quamquam recte interpunxit, post *quo* conjecit addendum esse *ire*, idque Oehlerus recepit. Non opus est; nam ex antecedentibus facile cum verbis *quo viro non licet* auditur *adire*, nec scio, an magis etiam placeat haec elocutionis brevitas, quam si *ire* ex Davisii conjectura addatur.

13. Cap. 25, 3. *(Romulus) propinquum sanguinem fudit. Quid inreligiosius, quid audacius, quid ipsa sceleris audacia* tutius?

Ita codices, quos sequuntur omnes editiones: Vonckius tamen pro *tutius* conjecit *astutius*.[92])

Vere *tutius* mendum est: nam Octavius hoc loco increpat impietatem Romuli; in vocabulo autem *tutius* nihil reprehensionis est, aut si aliquam reprehensionem artificiosa interpretatione exprimamus, tam leniter tamen reprehendit, ut post *inreligiosius*, *audacius* magnopere *tutius* langueat. Sed laborare etiam Vonckii emendationem, nemo est, quin videat; loci enim ratio postulat, non ut calliditas, sed ut atrocitas Romuli notetur: pugnant etiam inter se confidentia illa et astutia, quarum altera prae se fert injuriam, altera dissimulat. Malim igitur emendare *trucius*. Tanto facilius hoc depravari potuit in *tutius*, quod *c* et *t* litterae a librariis haud raro confusa sunt,[93]) et Comparativus Adjectivi *trux*, ut hoc ipsum Adjectivum, satis alienus est a vulgari usu,[94]) ut ad emendandum per se librarius invitaretur. Ad sensum autem optime *trucius* convenit. *Ipse*, ut saepe, significat schon, schon an sich: postquam igitur primum impietatem maxime Romuli Octavius notavit, quod arma soceris Sabinis intulerit, deinde spectata etiam ipsius sceleris ratione gravissime illum deliquisse dicit. Germanice: „Was gibt es Gewissenloseres, was Frevelhafteres, was schon wegen der Frechheit der Unthat an sich Wilderes?"

14. Cap. 27, 5.[95]) *(Plato) in Symposio etiam suo naturam daemonum exprimere connititur: vult enim esse substantiam inter mortalem immortalemque, id est inter corpus et spiritum mediam,*

---

[92]) Lectiones Latinae. Trajecti Viltorum. 1745. I, 7.
[93]) cf. Beier ad Cic. fragm. 224, 6. Drakenborch ad Liv. 3, 19, 8; 5, 27, 5; all. Muraltum in ed. Min. pag. III., not. 9.
[94]) Est tamen apud Amm. 25, 1, quamquam nonnulli libri ibi habent *atrocior*.
[95]) Apud Lindnerum 26, 11.

terreni ponderis et caelestis levitatis admixtione concretam, ex qua monet etiam nos procupidinem amoris *et dicit informari et labi pectoribus humanis.*

Ita codices Regius et Bruxellensis; editio princeps: *ex qua manare in nos procupidinem.*

Quantum auctoritatis dandum sit lectioni editionis principis, hoc quidem loco plane incertum est, quum nihil adsit, unde dijudicetur, utrum in Codice Vaticano illa verba fuerint, an profecta ab emendatione editorum. Itaque ne perdendae operae periculum faciamus, de codicum solum lectione quaeremus.

Est ea ex corruptissimis et ad sanandum difficillimis in toto libro Minucii, et vix ullius loci tot exstant Virorum doctorum emendationes. Complures editiones plane sequuntur principem, aliae, quamquam paulisper mutantes, tamen in eadem nituntur, ut Lindnerus scripsit *manare in eos.* Rigaltius cum nonnullis, Codicem secutus, emendat *movet etiam in nos procupedinem;* Davisius, quod *procupedo* nova vox et inaudita sit, mavult *movet etiam nos per cupidinem;* Oehlerus denique *ex qua monet etiam nos percipi cupidinem amoris;* alii aliter.

Sanum sensum ne his quidem admissis emendationibus habebis, et omnino aliud quid suspicor Minucii verba spectare, quam editoribus visum esse, illae emendationes declarant. Quia Octavius de daemonum malis artibus se disputaturum esse C. 26 extr. dixerat, plerique in eam sententiam delati sunt, ut pravarum cupiditatum originem hoc loco ad daemones referri putarent, eademque opinio, ut videtur, depravandi codicis causa fuit. At ne ita opinemur, vel ea, quae continuo sequuntur, impediunt:[96]) ibi enim pravos affectus a daemonibus moveri, dicitur; itaque tautologiae vitio locus noster laboraret, si idem jam antea dictum esset. Alii cogitaverunt, ut videtur, de ipsorum daemonum in homines amore; at neque Plato de hujusmodi daemonum amore quidquam habet, neque Minucius aut alibi dicit, aut, ut Christianus et de malitia daemonum divinis vocibus edoctus, dicere voluit. Sed haec ut mittamus, suspectior etiam illa opinio videbitur, comparato loco eo Platonis, quo Octavius utitur. Verba illa *substantiam inter mortalem immortalemque mediam* leguntur apud Platonem Symp. pag. 202.[97]) Ibi autem Socrati, quum quaesivisset, qua natura esset *Ἔρως*, Diotima respondet, neque Deum, neque hominem esse, sed daemonem inter utrumque medium; et postquam nonnulla de daemonum negotiis addidit, denique ex his etiam *Ἔρωτα* esse dicit.[98]) Quum igitur locus ille Platonicus totus sit de natura *Ἔρωτος*, quid verisimilius, quam Octavium hic, quae Plato de ea dixerit, breviter commemorare et Cupidinem nomen proprium esse? Quodsi quaeratur, quomodo locus noster emendandus sit, ut illum sensum reddat, existimaverim equidem, *pro* factum esse ex *porro*, *amoris* autem

---

96) l. c.: *et dicit informari.... pectoribus humanis et sensum movere et adfectus fingere et ardorem cupididatis infundere.*

97) l. c.: *πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ.*

98) l. c. pag. 203: *οὗτοι δὴ οἱ δαίμονες πολλοὶ καὶ παντοδαποί εἰσιν· εἷς δὲ τούτων ἐστὶ καὶ ὁ Ἔρως.* Caeterum quae ex Platone de Daemonibus Octavius affert, ea ex perversa et in malam quaeque partem trahente interpretatione nata sunt.

ejiciendum, ut quod debeatur glossemati exegetico, a librario, qui *cupidinem* nomen appellativum putaverit, in ipsum librum inserto. Ad *Cupidinem* autem simul audiendum est *esse*, per ellipsin vulgarem et totus locus ita accipiendus, ut in modum parenthesis ab Octavio insertus sit. Scribo igitur: *ex qua monet etiam nos porro Cupidinem.* Germanice igitur illa verba erunt: „Plato bemüht sich in seinem Symposium, sogar das Wesen der Dämonen zu erklären. Er behauptet, sie seien eine Substanz, welche zwischen Sterblichem und Unsterblichem, d. h. zwischen Körper und Geist in der Mitte liege, aus der Vereinigung irdischer Schwere und einer Zugabe himmlischer Leichtigkeit gebildet, — und aus dieser, lehrt er uns auch weiter, sei Cupido entstanden —, und er sagt, sie senkten und schlichen sich in die Brust der Menschen." Nescio an cui melius etiam pro *nos procupedinem* emendari videatur *nostrum Cupedinem:* ego tamen malui ea proponere, ex quibus facilius potuerit lectio codicis oriri.